

PRÆFATIO.

PLANTÆ quas Græcia habet, jamdudum ab antiquissimis, tum a scriptoribus maximè idoneis, Homero scilicet, Theophrasto, Dioscoride &c, commemoratæ, nomen per omnes terras haud mediocriter obtinuerunt. Utcunque verò celebres fuerint, et apud doctissimos viros ex mentione tam illustri factâ, gratiâ plurimum valuerint, at nequaquam a systematico quodam botanico ritè illustratæ sunt. Barbaries scilicet quæ per totam illam regionem mores hominum sævitâ infecit, investigationem rerum sponte illic provenientium, opus peregrinatoribus verè periculosum reddidit, et difficile admodum. Sunt profectò apud hodiernos peregrinatores perpauci qui quædam ad Botanicen Græcam spectantia, hic illic quasi disjecta, raptim collegere; et plurimi scriptores, studio et labore libros et collectanea domi evolventes, quæ prius parùm innotuerint extundere et illustrare conati sunt.

Nemo autem unquam animum ad hæc elaboranda adjunxit tali studio, quali Johannes Sibthorp M.D. in Academia Oxoniensi Botanices Professor Regius. Vir fuit ingeniosus admodum, doctissimus, patientissimus laboris, pectore animoso. Cum jam arderet mens impatiens quietis desidiosæ, Academia Oxoniensis munus viatorum, ex Celeberrimi Radcliffii instituto, quod diù exoptaverat, quo iter in regiones posset alienas tendere, contulit. Quam fideliter rem gessit, quam optimè de Academia, atque instituto Radcliffiano meruit, hæc chartæ satis indicabunt.